

hæc non potest convenire sententia. Ipsos ergo debere peti damnari, quos virtute præscientiæ suæ novit ad penitentiam remedia non venire. Nam & in subsequenti ubi venit ad homines, converti eos desiderat, non perire: ut est illud: Confundantur & reverentur qui quærunt mihi mala. Hic jam ubi venit ad homines corrigibiles, non maledictio funditur, sed correctio postulat. Confundi est facta sua erubescere, & in meliorem sententiam commutari. Nam & illi confusi dicuntur, qui convincuntur ad penam. Sed ut hoc magis ad conversionem intelligere debuisses, addidit: reverentur: id est, emendati colant quem persequendum esse putaverant.

Caput II.

ALEPH. *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filium Sion: projecte de celo in terram inclytam Israel: & non est recordatus scabelli pedum suorum, in die furoris sui.* Ventum est ad secundum alphabetum, ubi sub primo obstupescendo Jerosolymitanæ urbis improvitam ruinam, & plebis Judaicæ insperatum casum Propheta deplorabat: sicut etiam nunc admirando querit, quomodo pulcherrima habitatio Sion & inclyta Israëlitarum gens: quæ angelico ministerio suffulta, per ipsius Domini ducatum, de terra Ægypti per mare rubrum transfata est: & in deserto multis miraculis ac divinis solatiis diutissime per Moysen & Aaron educata: ita ut vocabulo scabelli pedum Domini, propter statum divini cultus qui in ipsa plebe tunc præcipuus erat, merito nuncuparetur, nunc de summa felicitate in maximam miseriam in die furoris Domini & vindictæ in eam prolata quasi de celo in terram projecta & conculcata sit. Mystice autem anima peccatrix quæ quondam habuit lumen scientiæ: & speculum divinæ contemplationis, quando pedes Domini, hoc est vestigia præceptorum ejus in cordis illius secreta consistebant: nunc propter cæcitatem cordis & nequitiam pravæ actionis de culmine virtutum in fœditatem terrenorum desideriorum prolapsa: iusto iudicio Dei spreta atque derelicta ab hostibus conculcatur. Unde Propheta merito ejus deslet ruinam: quia à summo honore ad maximam devoluta est miseriam, per quam omnium jam despectui patet & irrisioni.

Beth. *Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Jacob. Destruxit in furore suo munitiones virginis Juda, & dejecit in terram: polluit regnum & principes ejus.* Propter peccata enim Judæorum & transgressiones, quibus transgressientes legem Dei testimonia ejus non custodierunt, serviendo diis alienis, & adorantes idola & simulacra eorum venerantes, ad similitudinem gentium quæ circa eos erant, irritatus Dominus tradidit ipsum populum suum in manus gentium & dominati sunt eorum qui oderunt eos: omniaque speciosa Jacob quæ habebat in ornatu famosissimi templi, & cultu celeberrimo, quo se nobiliores cæteris gentibus esse credebant: Dominus præcipitavit & destruxit in furore suo, munitiones urbium Juda, statum murorum ac turrium in terram dejiciens: polluitque honorem regni & principatum ejus, ita ut nobiliores eorum, hostes captivos ducentes in servitutem sui redigerent: & eunuchos facerent atque deformes: sicut liber Isaia testatur, ubi ipse Propheta ad regem Ezechiam loquutus est, dicens: Ecce dies veniunt & auferentur omnia quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc in Babylonem: non relinquetur quicquam, dicit Dominus, & de filiis tuis qui exhibent de te quos genueris, tolerant: & erunt eunuchi in Palatio Regis Babylonis. Mystice autem destruit Dominus speciosa Jacob, cum decorem animæ diabolica arte decepta spernit: & munitionem doctrinæ, seculari sapientia condita, in qua maxime confidebat, diruit: & polluit honorem regni & principatum ejus, quem habuit in perceptione baptismatis & sacri unctionis christianis: ita ut jam non mereatur cum cæteris fidelibus ab Apostolo Petro audire: Vos estis genus electum: quando diversis servitutiis: & obtemperat hostis antiqui susationibus malignis: de quo & subditur:

Gimel. *Confregit in ira furoris omne cornu Israel. Avertit retrorsum dexteram suam à facie inimici: & succendit in Jacob quasi ignem devorantis in gyro.* Non solum enim universum regnum Judæorum Dominus destruxit, & defensionem dexterae suæ ab eis auferens, terram eorum in

manus hostium ad devastandum tradidit: sed & Jerusalem mysticam, quando à Domino recesserit & diis alienis in diversis sceleribus servierit, defensione cælestis auxilii privatam, flammæ libidinis, & furoris hostium ad succendendum tradidit. Dextera enim Dei Patris unigenitus filius est: per quem & solatium & defensionem fidelibus suis præstat. Sed quando offenso illo non mereretur ab inimicis liberari, quasi traditi videntur: cum defensores nullum habemus. Unde & Propheta quasi desertum à Domino populum Judæorum conquestus, in psalmis ait: Ut quid avertis faciem tuam de medio sinu tuo? Quasi offenso, quasi irato Domino dicit, quod nolit peccatores populos intueri: ut adhuc in sua videantur permanere nequitia. Ille enim quos dispensatione mirabili placatus attenderit, corrigit: quos propitius intuetur emendat. Quod autem dicit, dexteram tuam de medio sinu tuo in finem: significat quod sicut Moysi manus dextera Domini iussu de sinu prolata leprosa conspecta est, iterumque in sinum retracta curata: ita populus Judæorum exiens à Domino Christo immundus fiat: ad eum verò conversus, ad pristinam redeat sanitatem.

Daleth. *Tendit Dominus arcum suum quasi inimicus: firmavit dexteram suam quasi hostis: & scidit omne quod pulchrum erat visum in tabernaculo filia Sion: effudit quasi ignem indignationem suam.* Tendit Dominus arcum suum quasi inimicus, & dexteram suam quasi hostis firmavit: cum dimicantes contra Jerusalem Chaldaeos sive Romanos superiores fecit, data illis potestate ut incendirent templum, & destruerent muros civitatis, eo quod ipse iratus non parceret illis, qui aliquando patribus eorum placatus, terram diversarum gentium ad possidendum distribuit: sicut psalmista testatur ad Dominum, dicens: Manus tua gentes disperdidit. Ne enim putarent Hebraei se triumphatores suis urbibus extitisse, profertur illos non in suo gladio fuisse victores: nec terram gentium sibi propria fortitudine vendicasse. Brachium pro robore dicimus: quoniam ipso dimicante pugnatur. Sed illud brachium non eos ab inimicis suis liberare prævaluit, quos spiritualiter virtus divina salvavit: sic dum Hebræorum actus exponitur, humano generi proficua doctrina præstat. Dextera enim significat prosperam partem: brachium, fortitudinem: illuminatio, consilium: quæ Dominus præstantibus confert, quando victoriam donare dignetur. Sed ne dicerent, patres nostri suo merito placuerunt, ideo tanta sunt à Domino consecuti: intulit, non meritis datum, sed quia ita sit Deo placitum: cujus est gratuitum omne quod præstat. Complacet etiam in illis quando de toto mundo sola gens electa est: de qua Salvator Dominus adveniret, qui brachium victoria & fortitudo est nostra. Cui si peccaverimus, & diutius per patientiam ejus expectati, ad eum per penitentiam reverti noluerimus, tendit arcum iudicii sui contra nos, & dextera potentie suæ quicquid ornatus, scientiæ, vel virtutum visus sumus habere, totum dissipat: & exercet in nobis vindictam indignationis suæ: eo quod noluerimus intelligere misericordiam & beneficentiam immensæ clementiæ suæ.

He. *Factus est Dominus velut inimicus: præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus: dissipavit munitiones ejus: & replevit in filia Juda humilitatem & humiliatam.* Factus est Dominus velut inimicus synagoga Judæorum, quando eam hostili gladio devastari fecit. Dejecit mœnia & destruxit munitiones ejus: & replevit in ipso populo humilitatem & humiliatam: hoc est, utrumque sexum multiplici confusione despicabilem reddidit. Juxta allegoriam verò, sicut mœnia in urbibus pro ornamento sunt, munitiones verò in defensionem: ita alia sunt dona quæ nos muniunt, alia quæ ornant. Prophetiæ quippe doctrina, genera linguarum, curacionum virtus, quasi quædam mœnia mentis sunt: quæ etsi quisque non habeat, stare munitus per fidem & justitiam potest: quamvis ornatus virtutum altitudine minime esse videatur: fides verò, spes & charitas, non nostra mœnia, sed munitiones sunt: quæ si habere negligimus, hostium insidiis patemus. De Juda ergo quia prophetiam atque doctrinam vel miraculorum signa abstulit, mœnia præcipitavit. Quia verò fidem, spem atque charitatem propter ejus duritiam auferre permisit: munitiones ejus dissipare studuit. Rectus verò ordo servatus est, ut prius mœnia & post munitiones dissiparentur: quia cum peccatrix anima relinquatur: prius ab ea virtutum dona (quæ ad manifestationem spiritus data fuerunt) & post fidei, spei atque charitatis fundamenta destruantur. Quæ cuncta Domi-

nus à perfidis ablata, gentilitati tribuit: atque ex his quæ infidelibus abstulit, mentes fidelium ornavit. Unde & scriptum est: Speciei domus dividere spolia. Cum enim virtutum spolia à Judæis abstulit, domui cordis gentilium, quam per fidem inhabitare dignatus est, speciem donorum dedit. Quod videlicet gestum est, cum verba Dei & Judæorum populus ad solam literam, quæ occidit, acciperet: & conversa gentilitas per spiritum, qui vivificat, penetraret.

Vau. *Et dissipavit quasi horum tentorium suum: demolitus est tabernaculum suum. Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem & sabbatum: & in opprobrium & indignationem furoris sui regem & sacerdotem.* Propter peccata enim Israëlitarum dissipavit tentorium suum quasi horum: demolitus est tabernaculum, in oblivionem tradidit festivitates & sabbata: & totam gentem spernens simul cum regibus & sacerdotibus in opprobrium captivitatis dedit. In tentorii enim nomine & tabernaculi, quamvis unum videatur sonare, eo quod tabernacula Judæ sunt dicta: quod cortinæ diftentæ funibus tabernaculis intrâstantibus appenderentur, quæ tentoria sustinerent: tamen in tentorio illud tabernaculum quod Moyses in deserto fabricavit, & in tabernaculo hoc templum quod Salomon in terra reponitionis ædificavit, possumus accipere: quæ utraque propter scelera habitatorum Dominus in manus hostium tradidit: sicut in platerio legitur: Repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus: & tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. Rursumque per præsentem Prophetam Dominus in superioribus dicit: Faciam domui huic in qua invocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco quem dedi vobis & patribus vestris, sicut feci Silo: & projiciam vos à facie mea, sicut projecit omnes fratres vestros, universum seminem Ephraim. Unde videndum nobis est, ne propter iniquitates nostras habitaculum pectoris nostri deserat inhabitator Spiritus sanctus: respuat sacerdotium: & despiciat ordinem regiminis nostri: famusque sicut hortus dissipatus, ubi nullus virtutum gignitur fructus. Metuendum igitur ne tanta suavitatis & jucunditatis privati, in amaritudine & fœditate perveniamus sempiternam. Dicit enim Corinthiis manifeste Paulus Apostolus: Nescitis quia Templum Dei estis? Si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Et idem: An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno: glorificate ergo & portate Deum in corpore vestro.

Zain. *Repulit Dominus altare suum: maledixit sanctificationi: tradidit in manus inimici muros turrium ejus. Vocem dederunt in domo Domini sicut in die solenni.* Altare suum repulit, & sanctificationi suæ maledixit: quia hostias secundum legem oblatas quas salutes ibidem appellat: & altare in quo eadem hostia offerbantur, sprevit: diripiendaque hostium manibus tradidit, simul cum urbe atque propugnaculis ejus: clamoremque blasphemie, id est, hostes in domo Domini dederunt, ubi quondam laudes in solemnitatibus variis per diversa organa, sacerdotes & levitæ templo & ritu inviolato canebant. Quod olim Isaia Propheta deplorat, dicens: Ecce respice, populus tuus omnes nos, & civitas sancti tui facta est deserta Sion. Deserta facta est Jerusalem: dissoluta est domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri: facta est in exultationem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Mystice autem repulit Dominus altare suum: quando peccatis nostris exigentibus, quasi ingratis despicit aram cordis nostri: & avertit faciem suam à nobis, unde salvi fieri debueramus: sicut scriptum est: Ostende nobis faciem tuam & salvi erimus: nec preces nostras attendit, neque oblationes recipit. Maledixit sanctificationi suæ, quando Christianum nomen in quo gloriabamur, & quod in sacro baptisate per sancti christiani unctionem suscepimus pollutum duxerit: quia facinora nostra & pravi actus nostri hoc promeruerunt. Tradidit in manus inimicorum nostrorum omnia arma nostra & munitiones in quibus confidebamus: quoniam in omni conversatione nostra ad nihilum redacti sumus: nec præpositos, neque defensores jam utiles habere mereremur: qui in domo Domini, ubi laus, honor & gloria confessionis sonare debuit: ibi clamor & blasphemie resultant, & negotio ter-

rena exercetur, pro quo irritatus Dominus flagellum de funiculis faciens, omnes eiecit de templo, & nummulariorum effudit æs.

Heth. *Cogitavit Dominus dissipare murum filia Sion: tetendit funiculum suum: & non avertit manum suam à perditione: luxurque antemurale, & murus pariter dissipatus est.* Urbs ista cujus Dominus cogitavit dissipare murum, tetenditque funiculum, hoc est, rectam & condignam mercedem nequitie suæ reddere ei disposuit, synagoga est Judæorum: quæ semper superbe & contentiose agebat contra Dominum: Prophetas ejus & nuncios ad se missos persequens: novissime verò ipsum hæredem, hoc est, unicum filium ejus interfecit. Unde & ipse Dominus justus iudex & iustitiam diligens, non avertit manum suam à perditione ejus: sed terram illius, funiculo metiens, hostibus partem dividit. Murum & antemurale dissipavit, cum angelorum custodiam & defensionem, quam Domini pietate & patrum suorum merito olim habuerant, ab ipsa fecedere fecit. E contrario vero alibi est urbs illa, de qua in Isaia scriptum est, post contritionem Moab canticum celebre compositum esse, ubi ita legitur: In illa die cantabitur canticum istud in terra Juda: Urbs fortitudinis nostræ, Salvator ponetur in ea: bonorum operum murus & antemurale. Aperite portas & ingrediatur gens justa custodiens veritatem.

Thet. *Defixa sunt in terra porta ejus: perdidit & contrivit vestes ejus: regem ejus, & principes ejus in gentibus. Non est lex, & Propheta ejus non invenerunt visionem à Domino.* Hoc describit sermo propheticus, quod destructa Jerusalem terrena, imò synagoga Judæorum, doctores ejus & defensores, quos portarum & vedium nomina denotant, contriti sunt atque dissipati: reges ejus, & principes, atque Propheta jam non sint in illa: sed nec legem in violatam habeant, neque visionem & prophetiam à Domino mereantur habere: quia ipsum verum legislatorem & Dominum Prophetarum præsentialiter ad se venientem recipere dedignabantur. Ipse enim finis est legis ad iustitiam omni credenti, verusque Propheta paternam & suam credentibus annuncians voluntatem. De quo Moyses olim Israëlitis ait: Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris, tanquam meipsum audietis. Et erit omnis quicumque non audierit Prophetam illum, exterminabitur anima ejus de populo suo.

Jod. *Sederunt in terra: conticuerunt senes filia Sion: consperserunt cinere capita sua: accinctæ sunt ciliciis: abjecerunt in terra capita sua, virgines Jerusalem.* Sederunt in terra, qui terrena non cælestia sequuti sunt desideria. Conticuerunt senes etiam, quia non habuerunt spirituale scientiam legis Dei: unde nec jam deserta veritate consilium utile auditoribus suis præbere valebant. Filia Sion consperserunt cinere capita sua: accinctæque ciliciis, lugubris indute sunt tegumento: quoniam ornatum virtutum & sapientiæ spiritualis, quo ad cælestis regni thalamum se præcingere debuerant, non servaverunt: idcirco abjecerunt in terra capita sua virgines Jerusalem: cum mentes tristitia terrena gravatas in ima deprefferunt, nec jam ad cæleste gaudium illo modo aspirare præsumperunt. Hæc ergo omnia admonent nos ne simus legnes & tepidi ad discendam divinam sapientiam, & virtutum opera exercenda: ne forte propter inertiam nostram spernendo deserat nos auctor noster, destitutumque omni solatio: nec habeamus jam portis & veditibus destructis reges & principes qui nos ducant in viam iustitiæ: nec jam lex Dei, & Prophetarum oracula illuminent corda nostra: sedeamusque in terra carnis nostræ desiderii quasi cinere polluti: & vitiorum setis amicti, totam gloriam quam in cælesti regno habere poteramus, perdamus: jaceamusque in terra donec caro nostra in pulverem, unde sumpta est, revertatur: & finis fiat interitus sempiternus.

Caph. *Defecerunt præ lachrymis oculi mei: conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra secur meum super contritione filia populi mei: cum deficeret parvulus & lactens in plateis oppidi.* Videns Propheta nimiam contritionem gentis suæ, templumque incensum, & civitatem devastatam, nulloque sexui vel ætati hostes in nece parere: ingenti dolore turbatus, fletu maximo deplorat, ita ut oculi præ lachrymis deficiant: & jucunditas desiderii vertatur in anxietatem cordis. Quid enim magis dolendum fuit, quam quod natio antiqua & semen Patriarcharum atque amicorum Dei, divinis

legibus erudita, & Prophetarum oraculis sapiens confortata, in tantam apostasiam venerit, ut Dei sui oblita, propter immanitatem scelerum traderetur in manus hostium, Dei nomen blasphemantium? Sed & nunc pari modo desenda est ruina animarum quondam fidelium, quae pretioso sanguine Christi redemptae, & unda baptismatis à sordibus peccatorum ablatae, mysticae unctioe consecratae: iterum nunc in cœnum & sordes vitiorum devolutae sunt: ita ut hi qui innocentiam & simplicitatem parvulorum videbantur imitari: in plateis mundi & saeculi desideris ab hostibus spiritualibus ene-centur.

Lamed. *Matribus suis dixerunt, ubi est triticum & vinum: cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis: cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Frustra tunc auditores negligentes querunt à doctoribus suis triticum & vinum verbi gratiae spiritualis, cum in terrenis negotiis & voluptatibus saeculi ad effectum pervenerint praesentis vitae: & sub ipso magistrorum nutrimine, tempus indultum perdidit in prava conversatione. Non enim tunc tempus est remedii, sed ultionis: quando districtus iudex venit singulorum actus & vitam discutere, per discretionem iusti examinis.

Mem. *Cui comparabo te: vel cui assimilabo te filia Jerusalem: cui exequabo te, & consolabor te virgo filia Sion? Magna enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? Magna enim dignitate synagoga Iudeorum, temporibus legis & Prophetarum sub regibus & sacerdotibus multis gentibus & nationibus excellabat: cui lex divina, regni ducatus, & cultus pietatis erat: cuique per angelicam ostensionem & prophetica visionem secreta sua ipse Dominus revelavit, & quae vitanda quae agenda erant suo oraculo demonstravit. At postquam deseruit Deum, & vano errore delusa ad idololatriam declinavit: valida collisione contrita est, & fluctibus persecutionum quasi maris tempestatibus conqualata atque submersa est. Similiter & anima Christiana, cuius à statu rectae fidei & castitudine virtutum immensa ruina fuit: nullus est miseriae coequantia, quae ex confortio divino & societate sanctorum angelorum in malignorum spirituum decedit dominium: qui eam variis vitiis atque sceleribus captivata, huc illucque per saeculi undantes luxus ac casus vertendo, in foveam perditionis propellunt, in barathrumque gehennae perpetualiter puniendam praecipitae contentunt. Hinc ergo unde tanta mala supervenerint, Propheta subiungendo ostendit dicens:*

Nun. *Propheta tui viderunt tibi falsa & stulta: nec aperiebant iniquitatem, ut te ad poenitentiam provocarent. Viderunt autem tibi assumptiones falsas & ejectiones. Sicut enim quondam pseudoprophetae falsis vaticiniis & mendacibus promissis gentem Iudeorum seducebant: ita & nunc haeretici atque schismatici fictis opinionibus & dolosis argumentationibus corda simplicium à veritate rectae fidei & statu bonorum operum subvertere certant. Hoc attestante Petro Apostolo, qui in Epistola sua ita ait: Fuerunt vero pseudoprophetae in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui inducent sectas perditionis: & eum qui emit eos Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem: & multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur: & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabantur, quibus iudicium jam olim non cessat, & perditio non dormitat. Hinc & per Isaiam dicitur: Vae qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Qui enim peccanti & iniquis operibus attendenti promittit impunitatis securitatem, propheticæ maledictioni subiacebit. Similiter & ille qui bonum actum per invidiam detrahit, & beneficienti contradicendo adversatur: vae sempiternum si non se correxerit habebit. Unde cavendum est ne pro veritate sequamur mendaciam: ne pro lumine tenebras. Multae enim sunt viae quae videntur hominibus rectae, & novissima eorum perveniunt in profundum inferni. Est quoque periculis in iustitia sua, cui dicitur: Ne sis iustus multum. Quas ob causas Israel promittit se via ambulaturum regia: nec ad dexteram nec ad sinistram declinaturum. Et ut loquar quod sentio, difficile hoc maledicto quis carere potest: cum & malis frequenter adulemur propter potentiam: & bonos despiciamus propter inopiam.*

Samech. *Plauserunt super te manibus omnes transiens per viam: sibilaverunt & moverunt caput suum super*

filiam Jerusalem: Haecine urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universae terrae? Gaudium exprimit inimicorum, quo latati sunt de casu Israelitarum: qui plaudentes manibus, ore sibilantes, caputque moventes, in manus inimicorum de summa felicitate eos decidisse cum irrisione insultabant. Motus autem capitis ad consuetudinem pertinet nimis irascentium, & invidia astantium. Nam quoties furore succendimur, turbulenta commotione capitibus comminamur. Unde est illud quod Iudei Dominum Christum in cruce pendentem praeterentes blasphemabant. Ad eundem sensum respicit hoc quod subiungitur:

Phe. *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt & fremuerunt dentibus suis: dixerunt devorabimus. En ista est dies quam expectabamus: invenimus, vidimus. Illam enim diem hostes semper desiderabant invenire, qua liceret eis totam simul gentem Iudeorum gladio occasionis & vastationis devorare. Sed quia hoc minime evenire ita potuisset, nisi pro multitudine impietatum suarum Dominus hoc iusto iudicio fieri permisisset: continuo Propheta subiungit.*

Ain. *Fecit Dominus quae cogitavit: complevit sermonem suum quem praeceperat à diebus antiquis. Destruxit & non peperit: & latificavit super te inimicum: exaltavit cornu hostium tuorum. Sapius ergo synagoga Iudeorum Dominum irritans, iam dudum iustam penam promeruisse, nisi eam conditoris sui bonitas diu tolerasset, ac pie & patienter sufferret. Sed quoniam converti noluit, & cessare à cœpta nequitia renuit: tandem secundum merita sua, condignam ultionem recepit: sicut olim ad Moysen famulum suum, quando populo ad idololatriam converso orabat: Dominus respondit, dicens: Dimittam iuxta verbum tuum: verumtamen in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum. Unde nunc dicit: Fecit Dominus quae cogitavit: complevit sermonem suum, quem praeceperat à diebus antiquis: destruxit & non peperit. Quoniam plagas quas in Prophetis & lege frequenter comminando praedixerat, tandem ad iracundiam provocatus super eos inducebat. Igitur si haec corporales inimici contra Jerusalem terrenam tunc fecerunt: quid spirituales nequitiae & ministri antiqui hostis facturi sunt erga spirituale Jerusalem: hoc est animam Christianam: quando eam pro suis iniquitatibus sibi à Domino traditam undique penis, undique doloribus circumdant: nec eam quicquam tunc juvat, quod in praeterita aetate aliquid de terrena felicitate habuerat? Unde eam Dominus sub typo periturae civitatis deservit, dicens: Si cognovisset & tu.*

Sade. *Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiae Sion. Clamor hic intentionem mentis non exaltationem vocis significat. Clamant enim perverti homines, sive nequitiae spirituales coram Domino super muros filiae Sion: cum potestatem quando minantur plebi vel animae peccatrici suae ascribunt potentiae, non iudicio permissionis divinae: quorum blasphemia qua contra Dominum clamant, condigna non evadet tormenta. Cum enim expleverint supermi arbitri in adversariis suis secreta iudicia, tunc & ipsi reatus sui iusta recipient praemia. Nulli enim personae parcunt: quia omnibus quibus possunt, & quantum permittuntur nocere cupiunt, eosque perditionis suae consortes habere querunt.*

Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & per noctem: non des requiem tibi: neque taceat pupilla oculi tui. *Omni tempore lachrymas per compunctionem cordis effundere debemus: qui auctorem nostrum nostris offensum iniquitatibus non ignoramus. Non dissolvamur pigra inertia, nec per desidia & vanam securitatem cesset à lachrymis oculi nostri pupilla: praecurpemus faciem eius: lavemus per singulas noctes lectum nostrum, lachrymis stratum nostrum rigemus: misericordiae operibus insistamus: & eleemosynam pauperibus largiter tribuamus: & tam pro nobis quam pro proximis nostris, & nobis commissis, misericordiam Domini deprecemur. Unde sequitur:*

Coph. *Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame: in capite omnium compitorum. Consurget in nocte, qui in tribulatione praesentis vitae torporem à se excutit negligentiae. Laudat in principio vigiliarum*

rum, qui in omni conversatione sua strenuum se adhibet & cautum: & quicquid adversitatis patitur, totum ad confessionem laudis Dei convertere nititur. Sed effundit sicut aquam cor suum ante conspectum Domini: qui ex intimo affectu cordis producit lachrymas compunctionis. Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Levat ad Dominum manus suas pro animabus parvulorum suorum, qui defecerunt fame in capite omnium compitorum: qui operationem misericordiae pro humilibus & parvulis Christi membris, fame & siti usquequoque in terminis mundi laborantibus, curam adhibet ex sincera dilectione. Nullum enim munus Deo acceptabilius est, quam compunctio cordis prolata ex radice verae dilectionis. Hinc est illud quod in Evangelio Dominus cum ingressus domum Pharisei ad prandium discubuit, magis lachrymas mulieris peccatricis, quam delicias epularum Pharisei probavit, ubi ita legitur: Ingressus domum Pharisei discubuit: & ecce mulier quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod recubuisse in domo Pharisei, attulit alabastrum unguenti: & stans retrò secus pedes Domini, unguento ungebat: videns autem Phariseus &c. Igitur postquam Propheta civitatem miseram ad poenitentiae & orationis lachrymas provocavit: ad ipsum Dominum, si quomodo à vindicta eum placaret, verba deprecationis convertit, dicens:

Res. *Vide Domine & considera quem vindemieris ita. Ergo ne comedent mulieres fructum suum: parvulos ad mensuram palmae: si occiderit in sanctuario Domini Sacerdos & Propheta. Inter cetera quoque mala quae miserae genti Iudeorum accidere, illud quoque contigit quod mulieres eorum parvulos infantes & fructum uteri sui propter famis inopiam comederint. Unde est illud quod in obfisione Samariae mulier ad Joram regem clamavit pro occisione filii sui, quem cum vicina sua comedit, expetens ut ipsius filius similiter ad comestionem ambabus daretur. Sic quoque & in captivitate ultima Romanorum sub Tito & Vespasiano principibus mulier quaedam ex plebe Iudaeorum habitantium incolarum Maria nomine, Eleazari filia, genere ac divitiis nobilis, cum alia multitudine fugiens Ierosolymam, recepta cum ceteris obsidebatur: ubi cum à raptoribus rebus omnibus & victualibus expoliata fuerat: ad extremum necessitate famis cogente proprium filium lactentem interfecit, partemque ejus coquens comedit: partem verò in futurum ad comedendum reservavit: unde & nidore assatae carnis ipsi raptores excitati, cum factum reperissent, nimis exhorrescentes receperunt. Quod autem in sanctuario Domini facer-*

dotes & Prophetae, pueri & senes, juvenes & virgines, gladio ceciderunt: historiae divinae, necnon & libri Iosephi historiographi de excidio urbis Ierosolymae manifeste docent. Mysticè autem mulieres fructum suum comederunt, quando animae peccatrices iusto iudice Deo retribuente, operum suorum condignam mercedem recipiunt. Occiditur Sacerdos & Propheta in sanctuario Domini, cum ipsi ministri altaris & praedicatores verbi Dei, propter negligentiam suam atque desidia, de suo officio unde coronari debuerant, meritam poenam ultionis fortuantur.

Sin. *Jacuerunt in terra foris puer & senex. Virgines meae, & juvenes mei ceciderunt in gladio. Interfeci in die furoris tui: percussisti, nec miseris es. Jacent in terra foris puer & senex, cum illi qui innocentiam puerilem simulabant, ut illi qui videbantur consilio plebem regere, terrenis desideris incumbentes, propter facinorosam vitam de civitate Domini ejecti, terrae cui animo inhaerant coequantur: pulvisque pulveri reddetur. Similiter & qui continentiam virginem videbantur habere: & robur juventutis in operatione bona exercere: propter hypocritismum quam coram oculis hominum gesserant, gladio futurae damnationis occidunt. Interfici enim vindicta caelestis in die furoris Domini fidos simulatores, non veros executores sacrarum virtutum. Unde in Evangelio, virgines stultae in adventu sponsi leguntur mendicantes extra januam nuptiarum foris remansisse: & in psalms scriptum est: Juvenes ignem comedis: & virgines earum lamentatas non esse.*

Thau. *Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrent me de circuitu: & non fuit in die furoris Domini qui effugeret & relinqueretur. Quos educavi & enutrivit, inimicus meus consumpsit eos. Quasi ad diem solemnem hostes vocati sunt ad subversionem perditionis civitatis: quia id quod desiderabant, Domino permittente eveniebat. Interitum enim Iudeorum qui appetebant, conspiceret meruerunt. Aliter: Hostes quasi vocati ad solemnitatem veniunt, cum maligni spiritus in die iudicii ad puniendos peccatores exultantes conveniunt. Gaudet illi de ruina animarum: quia non ignorant ad supplicationem supernae civitatis, unde illi conuertant, creatum esse humanum genus: & ob hoc se privatos aeterna felicitate conspicientes, homines ne paradysum habeant, toto nisu per invidiam praecipitate festinant. Hoc tamen non sine grandi dolore sancta Ecclesia sustinet: cum filios suos quos baptisate genuit, & sacramentis divinis imbut, sub inimicorum manu per diversa scelera quotidie cadere videt. Quod in sequentis libri initio satis lucidè demonstrabitur: quoniam praesentem librum hic finire censemus.*

Explicit Commentarius primus in Lamentationes Jeremiae.

IN SECUNDUM LIBRUM COMMENTARIORUM LAMENTATIONUM JEREMIAE D. HIERONYMI PROOEMIUM.

PRIMAM partem lamentationis Jeremiae, quae duobus alphabetis quasi sapphico metro scripta constat: quia tres versiculos, qui sibi connexi sunt, & ab una litera tantum incipiunt, heroici comma concludit: sicut jam supra ostensum est, exponendo transcurramus. Rectè ergo ad secundam partem, ubi tertium alphabetum, quod trimetro scriptum est: & à ternis litteris, sed eisdem terni versus incipiunt, explanandam veniamus. Hoc in primis volentes sciri, quòd haec pars primum calamitatem gentis Iudaeae, seu potius humani generis desendo pronunciat, deinde sacramen-